DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE
PERIPNEUMONIA.

QUAM,

DEO FAVENTE,

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JACOBI GRONOVII,

HIST. ET GRÆCÆ LING. ET ELOQ. PROFESSORIS ET ACADEMIÆ GEOGRAPHI.

NEC NON

Amplissimi Senatus Academici Consensu,

& Nobilissimæ Facultatis MEDICÆ *Decreto,*


PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè consequendis

Publico ac solenni examini subjicit

ANTHONIUS LE ROY, Rott. Batav.

ad diem 17. Martii, horâ locoque solitis.





LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER, Academiæ Typographum. MDCC XI.

Viro Venerando

D. DANIELI LE ROY In Ecclesia, quæ Christo colligitur Rotterodamo, Pastori fidelissimo, Parenti omni amore & obsequio ad Rogum usque colendo.

UT ET

D. CORNELIO VAN ROOJE, Fratri per affinitatem dilectissimo.

D. ADRIANO SCHERMER, Avunculo plurimum honorando.

Mercatoribus Vigilantissimis.

NEC NON

Viris Clarissimis, Expertissimis, Acutissimisque.

D. FREDERICO DEKKERO, Med. Doctori, & in hac Illustrissima Batavorum Academia Praxeos Medicæ Professori ordinario.

D. HERMANNO BOERHAVE, A.L.M. Phil. & Med. Doctori, eademque in Academia Medicinæ & Botanices Professori longè Celeberrimo Promotori meo in æternum venerando.

D. WOLFERDO SENGUERDIO A. L. M. Phil. & J. U. D. Illiusque facultatis in hac Academia Professori ordinario; Bibliothecæ Publicæ Præfecto,

Præceptoribus plurimum de me meritis semper summa cum observantia colendis hanc Dissertationem

D. D. D.

ANTHONIUS LE ROY.

Auctor.



DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE

PERIPNEUMONIA,

PROOEMIUM.



Cùm studiis Academicis finem imponere animum induxissem, & pro more constitutum sit, ut, si quis Doctoralem gradum adscendere desideret, primò specimen quoddam suorum studiorum in eâ arte seu scientiâ, publico omnium judicio subjiciat, ventilandumque proponat; Nec non in tantâ elegantissimarum rerum abundantiâ hæsitarem, quamnam mihi potissimum seligerem materiem ad hancce Dis-

sertationem inauguralem conscribendam; Contigit casu, ut, cum occuparer miram Pulmonis structuram & fabricam paulo penitius indagando, ex uno hujus visceris affectu, quibus plurimis laborat Pulmo, meam Thesin conscribere proposuerim; cum verò PERIPNEUMONIA *principem inter hos locum occupet, animus ad hunc inclinavit; sed cum affectus hic ob multas controversias altiore egeret spiritu, vix, tenuitatis meæ conscius, ausus fui; sed cum omnia, si quæ recta posuerim, innitantur Cl. virorum omnium per artem curandorum morborum debellatorum* FR. DEKKERI & HERM. BOERHAVE *documentis, ex quibus omnia, quæ scio, dum eorum Collegia tam publica quam privata frequentarem, hausi, his itaque tanquam firmo innixus talo, manum huic Dissertationi adhibui. Interim te L. B. etiam atque etiam rogo, ut si quid omiserim, aut rudiori methodo pertractaverim, id meo juvenili imputes ingenio, & tuâ humanitate ac benevolentiâ suppleas, resarciasquo. His ergo præmissis ad ipsam Dissertationem me conferam, hanc servaturus ordinem.*

Primò ab Etymologiâ vocis exordiar, & datâ Definitione, Differentiis symptomata postponam, tumque signa Causis præmittam, dein Prognosin enucleabo, & tandem Curationem addam, & de Diæta quid monebo.

Caput

Caput Primum.

Vocis Peripneumoniæ Etymologia.

Haud in cassum fore duxi, ut rei pertractandæ claram animo excitem ideam, si vocis, quâ hoc malum designare Medici solent, Etymologiam præmitterem. περιπνευμονία græcum illud vocabulum ortum suum agnoscit, ex præpositione περὶ, quæ hic denotat *circum*, *circa*, augetque etiam in compositione significationem, & voce πνεύμων, quæ Græcis Pulmonem significat, (πνέω enim illis est *Spiro*, *flo*, atqui tale instrumentum quo hoc fit est noster Pulmo perpetuo aërem inspirans iterumque efflans.)

Quibus ergo liquet *Peripneumoniam* nobis indicare aliquid acutissimi circa pulmones, hoc autem esse validam Inflammationem in sequentibus patebit. Optime quoque hic morbus nomine περιπνευμονίτις, donatur tumque eadem erit vocis Etymologia, excepto quod hic addatur, non ἁ, sed particula ἴτις, hancque plerisque morborum quibus additur nominibus frequentissimè Inflammationem designare, omnibus satis superque notum est. Utramque hanc itaque denominationem quam optimé nostro morbo convenire in sequentibus adhuc clarius elucescet. Quum vero illa vox περιπνευμονία maxime in usum fuerit recepta, & ipse Hippocrates hoc vocabulum proprium morbo Inflammatorio Pulmonum voluerit, hinc eo ipso tantummodo utimur.

Si quis de Belgica denominatione fuerit sollicitus, sciat, Nostrates hunc intelligere morbum quum ajunt: **Een ontstekinge der Longe / het longe vuur / het longe spel.**

Quibus in tranſitu poſitis rem ipſam aggredimur a morbi Definitione initium facturi.

Caput ſecundum.

Peripneumoniæ Definitio.

Sed antequam de Difinitione quid referam, haud inutile, me judice, erit, ſi parvam viſceris, in quo hic dirus morbus graſſatur, deſcriptionem præmittam. *Pulmo*, ergo, *eſt viſcus veſiculis conſtans infinitis, vaſculis ingenti copiâ, ex Arteriis, Venis Pulmonalibus, Bronchialibus, ortis, interpoſitis, totum ferè Thoracis cavum occupans, in duos magnos lobos diviſum, continuo aërem recipiens, iterumque emittens, & ſanguinem è dextro corde in ſiniſtrum tranſmittens.*

Dixi Pulmonem conſtare veſiculis; *veſiculæ* antem iſtæ *ſunt ſacculi membranoſi exigui, ubique finibus aſperæ arteriæ appenſi, qui, intrante aëre in Pulmones, dilatantur, &, aëre iterum egrediunte, flacceſcunt.*

Ad Definitionem autem quod ſpectat, ſunt qui dicunt *Peripneumoniam eſſe Inflammationem partium interiarum Pulmonis.* Alii autem ſtatuunt *eſſe Inflammationem membranæ Pulmones inveſtientis*; Sed, ſalvâ aliorum Virorum famâ, hacce definitio mihi magis arridet, ſc. quod *ſit Inflammatio in vaſis Pulmonum inflammationi concipiendæ aptis.* Veruntamen non ſemper in omnibus ſimul contingit ea; nam tum eſſet totus Pulmo inflammatus, unde non morbus, verum mors certa adeſſet. Illa inflammatio ergo poteſt tum in arteriis Bronchialibus, in Pulmonicis, & lateralibus lymphaticis oboriri. *Inflammatio autem* (liceat hujus

hujus vocis Definitionem, ut meam hujus mali ideam plus palam reddam, addere) *est impeditus cruoris rubri arteriosi & lymphaticis in arteriis Lymphaticis transitus in minimis canalibus cum motu premente a tergo.*

Caput Tertium

Peripneumoniæ Differentiæ.

Peripneumonia deffert.

1° Quod oboriri possit tam ad fines Arteriæ Pulmonalis, quam in arteriis Bronchialibus, quæ prior posteriore longe periculosior est; tota enim massa sanguinis per priora vasa transire debet ad nutriendum totum corpus, quibus jam obstructis liquet statim quantum discriminis secum ferat, posteriora verò tantum pro nutritione Pulmonis inserviunt: Sed tamen priorem ex posteriore nasci posse certis ratiociniis probari potest

2°. Quod sit *VERA*, vel *Notha.*

VERA est, quæ oritur a causa generalis inflammationis, de qua postea.

Notha seu *Spuria*, quæ plerumque hyeme a frigore, aut verno tempore a calore accidit, oriri solet ex pituitâ lentâ in toto sanguine nata, cujus causæ antecedentes plerumque ansam præbent assumpta farinosa cruda, austera immatura, inopia boni cruoris, vasorum & viscerum debilitas, præsertim corporis motus hyemali tempore vix vel non exercitatus.

3°. Quæ oritur *alio morbo* prægresso, ut post Pleuritidem vel aliam Inflammationem, quando sc. illud, quod ibi impactum erat, resolvitur ita, ut per illos canales transire potuerit, sed tamen per hæc, fortè minora, vasa transire nequeat, atque sic obstructionem creet.

Peri-

Peripneumonia autem *quæ fit a Pleuritide mala.* Secundum Hippocratem Aph. 11. l. 7. vel quæ *non alium morbum* subsequitur, sed ex sese primam duxit originem.

Caput quartum

Peripneumoniæ Symptomata.

Symptomata hujus morbi varia sunt respectu ejus gravitatis, quæ, pro vase obstructo vel obstruente materia, se habet: Nam si arteriæ Pulmonales inflammationem susceperunt, symptomata magis exacerbescunt; tum enim sanguis qui e dextro Corde, per arterias in sinistrum transire solebat, ad fines istarum arteriarum stagnat, & propter pressionem sanguinis a tergo affluentis, vasa illa extenduntur, parsque liquidissima, quæ sanguini inerat, propter prædictam pressionem exprimitur, ut ita dicam, transsudatione, per laterales canales puta, tenue, nequaquam crassum, admittentes, se subducendo; ergo pars crassior remanet, obstructio major & major fit, sicque via occluditur sanguini transfluenti ad Cor sinistrum; Unde tantam copiam cruoris, ac ante recipere, & versus omnes corporis partes expellere, nequit; Hinc *Debilitas* summa oritur, *Pulsus*que est *exilis*, *mollis*, & quia Cor sinistrum nunc majorem, nunc vero minorem copiam sanguinis recipit, etiam est *inæqualis*. Cum autem *Pulmo gravis, explicarique* propter rationem dictam *Impos sit*, vesiculæ illæ inflante aëre distendi nequeunt, obstat quippe repletio vasorum nimia, undequaque ponderantis aëris columnæ summopere resistens; Hinc *Respiratio* est *parva*, *crebra*, *difficilis*, *erecta*, & *tussiculosa* quoque a materia aggesta majorem attritum hinc Pulmonis

monis ſtimulum cauſante. *Rubor faciei*, *genarum*, *&c*. Inſolitus adeſt propter Pulmonis Cordi vicinitatem, hinc celeriorem ſanguinis motum, quum ſanguis ex jugularibus venis ſeſe evacuare; propter repletum Cor, nequeat.

Malo autem adhuc citius ingraveſcente, tandem ſuffocati cum anxietate ſummâ & delirio moriuntur Peripneumonici.

Symptomata jam, ei malum ex obſtructione Pulmonalium arteriarum ortum duxerit, dixi. Si vero Bronchiales obſtructæ ſunt arteriæ ſymptomata non ita urgent, quia ſanguis liberius per Pulmonales Arterias transfluere aliquamdiu adhuc poteſt, id circo *Debilitas* illa *non* ita adeſt, niſi prior Inflammatio ſimul comes ſit, nèque *Pulſus* tam *mollis* & *exilis* eſt, ſed *durior* & *major*. Galenus enim *libr*. 4. *De cauſ. pulſ. pag. m*. 101. *claſſ*. 4. dicit; Quod *ſit in Peripneumonia Pulſus magnus*, *& undoſi quid habens*, *& languidus & mollis*, *&c*. *Reſpiratio* etiam multo *facilior*, eſt, & *alia ſymptomata* longe ſunt *mitiora*.

Caput Quintum.

Perigneumoniæ Signa.

Signa diagnoſtica Perigneumoniæ multa jam allata ſunt, ut phænomena Reſpirationis, Pulſus, debilitatis, faciei, ruboris, &c. Reſtant vero alia præter dicta ſigna, unde Perigneumonia cognoſcatur, ſed cum Pleuritis multa etiam ſigna huic affectui haud diſſimilia habet, differentiam ejus addere; & ſigna jam enumerata repetere cogor.

1um. Autem eſt *Februs acuta* quæ vehementior pro morbi ſtatu.

2um. *Tuſſis* vel *ſicca* vel *humida*, quæ exoritur, cum aër inſpiratus intrat veſiculas Pulmonales, & elaſticitate ſuâ, accedente calore illos expandere conatur, ſed quia via occluditur, ita ut illa expanſio impediatur præ Inflammatione, irritentur illæ partes, ex qua irritatione *Tuſſis* oboritur *ſicca*, ſi vero diu durat, & ægre conditio non nimis ſtricta, & liquida non nimis exſiccata & compacta fuerint, ſit *humida*, quia præ continua irritatione tunicæ Tracheæ internæ, & Bronchiorum glandulæ, quæ ſua emiſſaria in illa cavitate habent, majori copia liquidum ſecretum effundunt, ſicque *Fuſſi* perſeverante orificia illarum glandularum ampliora fiunt, ita ut globulos ſanguineos tandem admittant & transmittant.

Hæc duo Pleuritis etiam pro ſuis ſignis diagnoſticis agnoſcit.

3um. *Spirandi difficultas* hic major eſt, quam in Pleuritide, ob rationem prædictam.

4um. *Pulſus* hic eſt *mollis*, &c. in Pleuritide vero eſt *durus*, ut in omni Inflammatione; fluxus enim ſanguinis quia in multis prohibetur arteriis, & venis tamen revehitur, celeriorem per aperta loca obtinebit fluxum, unde ſymptomata, ut febris, &c. ortum ſuum trahunt.

5um. *Dolor obſcurus*, *gravativus*, & *profundus*, teſte Riverio Prax. Med. *lib.* VII. *cap.* 3. *pag. m.* 305. ubi dicit, *Dolor gravans & profundus eximo ad pectus & ſpinam pertingens, &c.*

In Pleuritide verò dolor eſt punctorius, quia membranæ exquiſito ſenſu gaudent; congeries enim eſt vaſculorum minimorum, quæ cum diſtenduntur ita ut in ſtatum rupturæ proximum ponantur, hincque dilaceratæ punctorium illum dolorem inferunt. Sed aliquis mihi fortè objiciet, cum in

in membrana dolor ille observatur cur hic non; Pulmo enim etiam habet membranam eum investientem. Sed Galenus pro me respondebit; duas enim dat rationes libr. 4. De loci affectibus cap. 5. Class. 4. ubi dicit, quod *Pulmo duos nervos perquam tenues a sexta nervorum e cerebro ortorum conjugatione recipit, extrinsecus per membranam ipsum contingentem dispersos, & qui per visceris profunditatem non extenduntur: verum Thoraci, multi ab internis, multi etiam ab externis partibus adveniunt nervi, quibus facile dolores percipi possunt.*

Altera est, quod *Thorax*, cui Pleura annectitur, *musculis ossibusque abundat*, quæ tensioni resistunt, unde necessario major dolor, *Pulmo vero laxus est, atque a compressione aut contusione tutus*, statim enim tensioni cedit; hinc dolor non tam magnus quam in Pleuritide; quibus adde quod Pulmo non tantnm ab Cerebro, sed maxime a cerebello nervos accipiat, hosce vero tantum motui vitali, non sensui, destinatos esse, egregiis experimentis demonstrarunt Anatomici.

6um. *Rubor faciei, oculorum, &c.* In Pleuritide vero rubor ille non apparet, nisi Peripneumonia Pleuritidè conjuncta sit, tumqne vocatur Pleuropneumonia, cum Pleura, & Pulmo simul, inflammata sit, quod multoties accidit: Dicit enim Th. Zuingerus in parte posteriori sui Theatri Praxeos Medicæ pag. 367. *Credimus autem longe frequentius Pulmonem & Pleuram simul quam alterutram solum partem affligi.*

Caput Sextum.

Peripneumoniæ Causæ.

Causa immediate proxima Peripneumoniæ est obstructio seu stagnatio sanguinis in Pulmonali arterioso genere. Causæ vero, antecedentes, medicis προηγούμεναι dictæ, quæ hanc obstructionem seu stagnationem efficere valent, si annumerantur inveniuntur in hisce,

α. Vel in vitiatis vasis arteriosis.

β. Vel in vitiatis liquidis.

γ. Vel in utrisque vitiatis simul.

In arteriis autem hæret vitium, quando diameter aperturæ diametro spheræ transfluentis minor fit; quod autem oriri potest ab externâ compressione, vel quando fibræ arteriarum spasmodice contrahuntur; vel quando vasa minima, quorum intertextu membrana fit, unde illud vas majus constituatur, sunt tumefacta, vel quando vasa nimis sunt flaccida, &c.

In liquidis autem hæret, quando figura partium fluentium sphærica mutatur in aliam majorem superficiem habentem, vel quando viscositate ad se invicem quasi agglutinantur, & propter vasorum debilitatem à se invicem separari nequeunt, vel quando globuli sanguinei loco aberrantes intrant vasa conica vel lateralia finem tranare non potentes. (*Cl.* HERM. BOERHAVE *Medicin. & Botanices Professor, vir incomparabilis, in quacunque arte medica peritissimus, Præceptor meus & Promotor summe honorandus, fusius hæc scripsit in illo parvo sed Doctrina fertili libello, de cognoscendis & curandis morbis, ubi de obstructione*

ctione agitur.) Cum jam hæc obstructio nata sit, illa symptomata exoriuntur, quæ memorata sunt in Capite de symptomatibus, quod vide.

Causæ vero hunc morbum præcedere solitæ, quæ προκαθαρτικαὶ dicuntur, ex 6. R. N. N. vulgo dictis ortum suum habent: suntque sequentes.

1°. *Aër*, qui nos ambit, in quo vitam degimus, quem respiramus, & sine quo ne parvo quidem tempore vivere possumus, multum ad hujus morbi productionem præbet, sc. cum corpus nimis incalescens aëri frigido subito exponitur, quod facillime contingere potest autumno, tum enim matutino tempore est frigidior, circa Meridiem vero æstus, circa vesperam iterum frigus, hinc eo tempore, ut & Hyeme plerumque hujus generis morbi grassantur teste Hipp. Aph. 23. §. 3. *Hyeme vero*, dicit, *Pleuritides*, *Peripneumoniæ*, *Lethargi*, *&c.*

2°. *Cibus* & *Potus*, qui cum majori copia assumuntur, & particulis viscidioribus & tenacioribus, & acido austeris abundant, Chylum, qui ex his conficitur, ejusmodi indolis reddunt; adde abusus vinorum austerorum & spirituosorum. Hipp. etiam dicit in libro de aëre, aquis & locis, usus aquarum lacustrium, & stagnantium Peripneumoniæ generandæ idoneus est; dicit enim in illis regionibus frequentes observari Peripneumonias.

3°. *Motus* corporis & exercitium vehemens, præsertim post diuturnam *Quietem*, tum enim sanguis multo celerius quam antea motus, & idcirco velocius fluens, particulis suis subtilioribus per Diaphoresin aut insensibilem perspirationem privatur, crassiores vero remanent; hinc obstructio fieri potest, præsertim si immediate potus frigidus majori copia subito assumitur, ab eo enim frigore subito contrahuntur vasa, hinc liquidorum partes motu & calore

diſtentæ & rarefactæ jam per contracta vaſa ſiſtuntur.

4°. *Somnus* & *Vigiliæ* etiam ſuam ſymbolam huic obſtru-ctioni adferre queunt.

Somnus enim teſte Sennerto naturales evacuationes atque excrementa detinet, crudos & pituitoſos humores cumulat, ſpiritus animales ob pituitæ coaſervationem obſcurat, unde omnes actiones fieri neceſſe eſt.

Vigiliæ autem nimiæ contra ſpiritus diſſolvunt, corporis vires labefanctant, coctionem impediunt, cætera de his apud Auctorem nominatum in libr. 2. Cap. 2. pag. 222. videre poſſunt.

Hipp. etiam Aph. 3 ſ. 2. & 71. ſ, 7. ait, *Somnus & Vigiliæ modum excedentia morbus*.

5°. *Excreta* & *Retenta* annumerantur, cum autem alimenta aſſumpta & in Chylum converſa, per venas lacteas non ſecernuntur, verum una cum fœcibus excernuntur, ſanguis neceſſario, refectione novi liquidi carens, debet fieri craſſior, quæ & eadem contingunt, ſi alii utiles humores intempeſtive evacuentur;

Cum vero excrementa, quæ evacuari deberent, retinentur, ſicque etiam hunc morbum excitare poſſunt.

6°. Tandem *animi παθήματα* recenſentur, quæ primaria ſunt, Ira, Gaudium, Timor, & Mœſtitia, quæ varios effectus in corpore producere imo & noſtris cauſam, ut teſtantur auctores, eſſe poſſunt. Irâ enim ſpiritus & ſanguis ſummopere agitantur, ſi vero jam ſanguis nimis viſcidus vel tenax ſit, ut tam cito per minora vaſa fluere nequeat, obſtructionem ſtatim creat.

Peripneumoniæ Nothæ cauſa ex Differentia in capite ſecundo pertractata colligi poteſt.

Caput

Caput Septimum.

Peripneumoniæ Prognosis.

Ad Peripneumoniæ Prognosin quod astinet, morbus est summe periculosus propter respirationis necessitatem, & Cordis vicinitatem (nam ut Celsus dicit, hoc sane morbi genus plus periculi quam doloris habet,) imo & lethalis si inflammatio sit in toto Pulmone, ut antea monuimus, & symptomata valde urgeant, tumque apud Auctores hæc inter signa Lethalia annumerantur, sc. cum Vigiliæ sunt continuæ, aut somni breves comatodes, extremorum frigiditas, & stertor cum maxima respirationis angustia adest, ungues si sunt lividi & incurvi, *sputum si sit vel nigrum, vel fulvum vehementer, vel spumans, vel impense fœtidum, vel non omnino expuitur, ingenti spirandi difficultate hominem occupante*, teste Galeno pag. 89. Class. 3 inter signa lethalia recensenda esse, inter hæc idem auctor annumerat sequentia, In spur. pag. 35. ubi dicit, *Urina rubra, vel nigra cum variis nebulis mortem futuram ostendit*. In Comm. 2°. de morb. vulgar. pag. 833. class. 3. inquit, *qui suffocantur pinnas narium movent.*

Aliqua tamen, verum non certa, spes super est ægrum salvatum iri, si inflammatio in uno tantum Pulmone locum infestat, symptomata sunt mitiora, & sequentia signa adsunt sc.

1um. *Virium robur.* (nam ut dicit a me jam toties citatus *Galenus* Pag. 63. Class. 3^æ^. *Una salus peripneumonicis Pleuriticis &c. virium robur.*)

2um *Sputum subflavum*, copiosum, sanguineis striis sed minori

minori copia tinctum, in initio excretum, cum symptomatum mitigatione.

3um *Alvi fluxus* biliosus similia ut in sputo dicta sunt ejiciens cum levamine.

4um *Urina copiosa*, crassa hypostatica cum sedimento a rubedine sensim ad albedinem vergens, & ante septimum diem reddita. Urina vero Teste Hippocr. in Coacis circa initium crassa, & postmodum ante diem quartum tenuis facta, mortem protendit.

5um Hæmorrhagia narium major minorve superveniens boni est ominis Teste *Cl.* FRED. DEKKERO *hujus Academiæ, Prax. Prof. per multos annos expertissimo, Præceptore meo reverendo in sua Praxi, quam in privato Collegio Cl. pertractat.*

Caput octavum.

Peripneumoniæ Curatio.

Ultimo jam pervenimus ad Curationem, sc. pertractationem eorum, quæ agenda habet Medicus hocce in morbo periculoso; per se autem si sineretur hoc malum absque medela, ægrum incolumem futurum vix crederem; si enim recordemur exitus ejus esse ut omnis Inflammationis, quæ vel resolutione solvitur, vel in suppurationem seu abscessum, gangrænam, sphacelum, scirrhum, vel cancrum abit, quorum omnium optimus est exitus resolutio; qui vero sequitur majoris est momenti, & reliqui sequentes pessimi sunt. Cum autem prior melior, ut diximus, sit cæteris, semper est tentandus, qui faciliori marte procedit, si æger gaudet laxa temperie, & humor fluens sit blandus, nec motus

tus velox, nec obſtructio magna fuerit in arteria Bronchiali, vel Pulmonali minima, & canales adhuc mobiles exſtiterunt, ſc. quod expandere ſeſe adhuc poſſunt, tum enim per diluentia, interne & externe applicata, ſpecie Decocti, Clyſmatis, Vaporis, Fomenti, &c., illud quod ibi impactum eſt, reſolvi poteſt: Si vero humor prædictus valde ſit agitatus, obſtructio multo major, & reſolvi impos fuerit, tandem illa obſtructa vaſa, præ nimia diſtenſione rupta, ſuos liquores effundunt, & præ continuo motu leviter putrefaciunt, &, ſimul cum partibus diſſolutis ruptorum vaſorum, in humorem album vulgo Pus dictum convertunt, tumque in ſuppurationem terminatur inflammatio. Cæteri inflammationis exitus videri poſſunt apud jam laudatum virum Cl. HERM. BOERHAVE in libello ſupra nominato, ubi de Inflammatione loquitur.

Ut bonum Curationis ſervem ordinem, Medicamenta quædam ſimplicia, ut & compoſita, hoc in caſu convenientia præmittam. Inter hæc ſequentia recenſentur. Si acre molliendum, ſtrictumve laxandum, laudantur Rad. Alth. Conſolid. maj. Liquirit. Fol Alth. Capillor. Veneris, Malv. Melilot. Parietar. Pulmonar. Samb. Scabioſ. Viol. Flor. Alth. Malv. Melilot. Parietar. Sambuc. Scabios. Sem. Papav. Alb. Lilior. alb. bulbi Aq. Pur. Scabios, Syrop. Capill. Vener. Ol. Anygd. dulc. Olyv. Palm. Pingued. Homin. Anatum Anſer. Capi. Medulla. Ubi vero ſpiſſum tenuandum, ſegne ſtimulandum, & movendum, tum adhibetur Rad. Angelic. Apii, Ariſt. Aſparag. Fænic. Gramin. Ireos., Petroſel. Ruſci. Fol. Agrimon. Tuſſilag. Flor. Camomill. Sem. Jenic. Urtic. Bacc. Lauri, Juniperi. Aq. Pur. Hyſſopi, Tuſſilag. Syrp. Hyſſopi, Tuſſilag. Oxymel. ſimpl. & ſcillitic. Plurima vero alia, quæ hic annumerare potuiſſem, ſicco quaſi pede tranſeo, & ad ipſam Curationem Therapeuticam me confero; Hæc autem varianda eſt pro ſtatu morbi, & ſymptomatum di-

versitate; nam quod uno tempore juvaret, hoc, eodem in morbo, alio tempore noceret, neque enim & ipsa modo laudata medicamenta semper conveniunt; sed pro vario morbi statu & exitu, varia ex iis eligenda erunt.

Cum autem hujus morbi Curatio optima sit, ut antea monuimus, quæ fit per resolutionem, omnem opem navare debet Medicus, ut per hanc morbum hunc ad finem perducat.

Si jam observantur illa, quæ supra hoc in Capite de resolutione diximus, tum æger quietus corporis animique esse debet, aërque tepidus humidus necesse est ut inspiretur, quod fit evaporatione aquæ calidæ per os vel nares ad Pulmones delatæ, medicamenta simul ex diluentibus, nitrosis, mellitis constare debent. ut V. G.

℞. Hord. mund. ℥iij.
Coq. in suff. q. aq: comm. colat. ℔ij. add.
Nitri pur. ʒij.
Oxymell. ℥iv.
M. F. Decoct.

De quo sæpius sumat haustum calidum.

Si vero sputa (n°. 2°.) ad finem Prognosis memorata, adsunt, Medicus his succurrere debet, ne illa retineantur, morbusque sic pejor evadat, hinc avertenda omnis Purgatio, Venæ S., sudoris expulsio, & ejus commatis alia, quæ hic minime conducunt, quia horum præsentia fit derivatio ad alia loca, unde sputa inhibentur. Ergo æger, ut illa faciliori Marte procederent, iisdem, quæ supra diximus, utatur, interim emollientibus & sputa provocantibus non omissis. Decocta quia hoc in casu summopere conducunt, hic unum præscribam.

℞. Rad.

℞. Rad. Alth.
Chin.
Malv. a. ℥j.
Liquirit. ℥ij.
Fol. Agrim.
Parietar.
Melilot. a. m. j.
Flor. Sambuc.
Malv. a. p. j.

Coq. s. q. aq. comm. ℥LX. exhibe, quibus ad gratiam, & ut expectorationem facilitet possunt addi,

Syrp. tussilag. ℥iij.

Laudatur hic Bals. Sulph. anis. (hunc tamen multi usurpare non audent, metu inflammationis facile acrimonia olei anisi excitandæ vel augendæ, neque illis multum obessem.) De decocto ergo præcedenti aliquoties de die hauriat. Si verò alvi fluxus, (n°. 3°.) in Prognosi descriptus, adest, tum clysmata lenia, quæ simul emolliunt, decocta ex herbis emollientibus, atque jam supra memorata conducunt.

Si vero signa urinæ (n°. 4°.) descripta adsunt tum iterum eadem prosunt, sed derivatio magis ad illa loca fieri debet, quæ fit per fomenta ad renes applicata, clysmata dicta emollientia, & decocta leviter aperientia, ut V. G.

℞. Rad. Apii
Gramin.
Glyzirr.
Rusc.
Fœnic. a. ℥j.
Asparag.
Petrosel. a. ℥ß.
Flor. Camomill. p. ß.
Sem. Alth.
Petrosel. a. ℥ß.

Cum s. aq. copia decoct. ℥L. exhibe pro potu.

Si autem æger habet corpus robuſtum, imprimis juvenile, paulo ante ſanum, & Inflammatio ſit recens & magna, quæ ex ſignis, in Capite de ſymptomatibus traditis, colligi poteſt, tum ſtatim ad citam, largam, & pro morbi gradu variandam, imo repetendam V.S. deveniendum, ut illa preſſio a tergo ſanguinis affluentis minuatur, ſicque amplior via diluentibus concedatur. *Galenus* etiam hæc toties monuit, ut *pag. 7. Claſſ. 6. De venæ ſect. adverſus* Eraſiſtratum ubi dicit *quis adeo demens eſt, ut* ſanguinis *evacuationem non pronunciet, ſi æger ſit juvenis & multo abundans ſanguine*, &c. Rurſus *pag. 17. ejuſdem Claſſis de curand. rat. per ſang. miſſ. Si Peripneumoniæ, Pleuritidi, &c. obnoxium eſſe hominem cognorimus, committendum non eſt, ut expectemus dum aliquod evidens plenitudinis ſymptoma appareat, ſed antevertere ſanguinis detractionem præſtat.* Iterum *pag. 18. ejuſd. claſſ. eadem monet Galenus.* V. Sectione autem inſtitutâ, æger vapores præſcripti Decocti expectorantis vel ſimilis continuo inhalet, & decocta diluentia, emollientia, antiphlogiſtica, reſolventia parvâ copiâ ſimul ſed continuò calidiſſime aſſumat, & clyſmata antiphlogiſtica emollientia injiciantur. ut V.G.

℞. Rad. Alth.
Lilior. alb. bulb. a. ℥ß.
Herb. Malv.
Pariet.
Mercur.
Branc. urſin. a. m ß.
Sem. Lin.
Fenugræc. a. ʒij.
Coq. in ſ. q. aq. comm. colat. ℥xij.
add. Ol. Viol.
Chamomill. a. ij.
Nitr. pur. ʒß.
M. pro Clyſmate.

Calide injiciendo. Si

Si verò malum hoc hisce non cedat & symptomata fuerint gravia & ultra triduum perseverarint, credendum est, Inflammationem in suppurationem tendere, tumque V. S. est inhibenda, vel si tamen res urgeret parva est instituenda, & vapores calidi ex herbis emollientibus cum aqua decoctis assurgentes usque in quintum ab initio morbi diem sunt inspirandi. ut V. G.

℞. Fol malv.
pariet.
bis malv.
mercur. a. m. ij.

Tum aq. decoctorum vapor cum aëre inspiretur, ut & Decocta ex illis sunt assumenda, ut Pulmonum vasa intus & extus continuo madefierent, & ita melius Pus coqui, ut ita dicam, posset, die quinto & sexto eadem continuare, & illa quæ tussim leniter movent assumere debent, ut septimo die fortuna forte Pus jam coctum excrearetur, Mixtura autem hoc in casu conveniens sit sequens.

℞. aq. decoct, hord. ℥iv.
hyssop.
tussilag a ℥i.
acet. Scillit ʒij.
oxijm. scilit. ℥iß.
sal. poluchr. ℨß.
syrp. Capill. vener. ʒijß.
F. mixtura

de qua sæpius cochleare assumat. Si verò symptomata post dies criticos (*quos Cl. Herm. Boerhave* 3°. 5°. 7°. 9°. 11°. 14°. *die a morbo incboato annumerat*) non mitiora extiterunt, sed æque ac ante urgent, imprimis si Tussis increscat, & respiratio post pastum vel motum parum adauctum difficilior fiat, & decubitus sit in latere affecto tantum tolerabilis, signum est jam abcessum vomicamve, in Pulmone factam

 esse,

esse, quod ubi si contigerit, omnem curam adhibere debemus, ut disruptio in asperam arteriam acceleretur, & ita Pus foras per os expelli queat: Disruptio autem illa ut bene procedat, debet æger primo alimentis mollibus & subpinguibus uti, prædictis emollientibus non omissis, ut Pus eo melius ad evacuationem aptum natum sit, tumque excitato clamore vel tussi ope vaporis aceti calidi per infundibulum ori appositum cum aëre simul inspirati, vel alia quacunque ratione; simulque corpus plus solito concutiatur, ut ita dicam, quod fit in nave, rhedâ, sternutatione, &c. Pure autem jam foras expulso, locus ulcerosus depuretur quam citissime, quod fit continuatione medicamentorum prædictorum. Quid autem agendum habeat Medicus si Pus illud non per os, sed in pectoris cavo se evacuaverit, docent omnes qui de Empyemate curando tractant. Jam vero restat ut

DE DIÆTA

qnid referam.

1. *Aer* qualis esse debet jam in Curatione monui.

2°. *Cibus* debet esse tenuis, antiphlogisticus, constans α. ex oleribus mollissimis, ut sunt Atripl. Beta, Borag. Cichorea omnia, Endiv. Lactucæ fere omnes, Spinag. et sim. multa, vel,

β. Ex farinosis, ut sunt Avena, tritic. fagopyr. hordeum, orysa, pistach. amygd. dulc., secal. &c. Ex his autem omnibus fieri possunt decocta, cremores, pultes, &c. vel

γ. Ex succis maturorum fructuum horæorum crudis, vel cum aqua parum percoctis & saccharo si opus edulcoratis. Ut sunt omnium Pomorum, pirorum, & cerasorum genera acido grato seu dulci gaudentia; sambuc. succ. melon. mor. ribesi gener. rubi Idei fructus, &c.

Pro *Potu* decocta inservire possunt, vel si aliquando

vino

vino gaudent, non nisi molle & dulce dari debet, & parva quantitate.

3°. *Motus* nullus nisi necessarius, ubi vero excitari debeat, diximus. Sed *Quies* sit corporis animique imprimis.

4°. *Somnus* & *Vigiliæ*.

5°. *Excreta* & *retenta*, hæc naturalem suum servare debent ordinem.

6° *Animi* παθήματα sint sedata, aut ad hilaritatem vergant.

En L. B. quæ mihi de hoc morbo erant dicenda, hanc dissertationem amplius elongare nolui, quamquam sat materiæ ad huc supererat, quia omnia breviter, ut patet, pertractavi, ne longâ Dissertatione tibi fastidium excitem.

Qui autem curiosus est, huncque morbum altius indagare animo habeat, is modo legat Aphorismos de Cognoscendis & curandis morbis HERM. BOERHAVE, qui optimus inter omnes, quos adhuc evolvi, Auctores de hoc morbo scripsit, ad hunc ergo Librum illum dimitto, atque impono

F I N E M.